

## DE DUOBUS LOCIS ALEXANDRI APHRODISIENSIS LIBRI *DE FATO* EMENDANDIS

Libri *De fato* textum, qui nititur codice Veneto Marc. Gr. 258, a quo cetera manuscripta originem ducunt, et versione Latina Guillelmo de Moerbeka fortasse tribuenda, e qua lucrari lectiones aliquot possumus codicis Graeci nunc deperditi, Veneto, ut videtur, antiquioris, ex editione depromo quam Rupertus Sharples, vir de Alexandro Aphrodisiensi optime meritus, Londinii nostrae aetatis anno 1983 publici iuris fecit. Duae aliae editiones mihi praesto sunt in his adnotatiunculis conscribendis, altera Ivonis Bruns, Berolini anno 1892 in lucem prolata, altera Petri Thillet, Lutetiae anno 1984 impressa.<sup>1</sup>

### I

De fato 19, p. 189,23–27 Bruns (= Sh.; p. 39,19–23 Th.):

ὅμοιον γὰρ τούτῳ τὸν ἵππον κολάζειν ἀξιοῦν. ὅτι μὴ ἔστιν ἄνθρωπος, καὶ τῶν ἄλλων ζώων ἕκαστον, ὅτι ταύτης τῆς τύχης καὶ μὴ βελτίονος τετυγῆκασίν τινος. ἀλλ' οὐδεὶς Φάλαρις οὕτως ὁμός τε καὶ ἀνόητος, ὡς ἐπὶ τινι τῶν οὕτως γινομένων κολάζειν τὸν ποιήσαντα.

Ita Sharples. E versione Latina (*ita ... quod* [sic] ... *punire velit eum qui fecit*) Thillet addidit ἀξιοῦν ante τὸν ποιήσαντα, sed si quid supplendum id esse censeo ἀξιοῦν, quod librarius codicis Veneti propter homoeoteleuton potest omisisse (κολάζει(ν ἀξιοῦν)). Non tamen infitior lectionem codicis Veneti (κολάζειν τὸν ποιήσαντα) sensui et grammaticae satisfacere etiam sine hoc additamento. Nonne scriba exemplaris Graeci interpretationis Latinae e iunctura κολάζειν ἀξιοῦν, quae in verborum comprehensione continuo antecedenti occurrit, locum de quo agimus interpolavit? An interpret ipse *velit* de suo inserit? Paulo ante pro ὅμοιον γὰρ τὸ τοῦ τὸν ἵππον κολάζειν ἀξιοῦν, quod codex Venetus praebet, scite Donini (RFIC 97, 1969, 309) e versione Latina (*simile enim huic equum punire velle*) coniecit ὅμοιον γὰρ τούτῳ τὸν ἵππον κολάζειν ἀξιοῦν,<sup>2</sup> adsentiente Sharples. Possis etiam ὅμοιον γὰρ τούτῳ τὸ ἵππον κολάζειν ἀξιοῦν, fortasse ita corruptela orta: τουτῶιτο > τουτῶι > τουτῶτον.

### II

De fato 34, p. 206,7–12 Bruns (= Sh.; p. 66,4–10 Th.):

οὐ μὴν τοῖς πάντα ἃ ποιοῦμεν ἐξ ἀνάγκης ἡμᾶς ποιεῖν λέγουσιν ἔπεται τοὺς μὲν κατορθῶν τῶν λογικῶς ἐνεργούντων, τοὺς δ' ἄμαρτάνειν. ἐξ

1) De editione a Sharples emissa et de ceteris duobus nunc laudatis vide sis quae disputavi in RhM 155, 2012, 367–368.

2) Idem (ὅμοιον γὰρ τούτῳ τὸν κτλ.) ut suam ipsius coniecturam proposuit Thillet.

ἀνάγκης δὲ πάντα ποιούμεν καθ' οὐδ' ἀδύνατον μὲν τῶνδ' ἑτιῶν πε-  
 ριστώτων μὴ πράσσειν ἡμᾶς, τὰ δ' ἐξ ἀνάγκης ἡμᾶς αἰεὶ περιστήσεται  
 ταῦτα δι' ἃ πράσσομεν.

Sic Sharples, qui textum codicis Veneti recepit, uno verbo leviter mutato. Nam Venetus mendose dat ἔπειτα, pro quo Bruns, probante Sharples, optime coniecit ἔπειτα.<sup>3</sup> At sententia ἐξ ἀνάγκης δὲ πάντα . . . ταῦτα δι' ἃ πράσσομεν sine dubio laborat. Bruns de scribendo τ(αὐτ)α δ' ἐξ ἀνάγκης ἡμᾶς αἰεὶ περιστήσεται [ταῦτα] δι' ἃ πράσσομεν cogitavit. Ecce medela quam ego adhibuerim: ἐξ ἀνάγκης δὲ πάντα ποιούμεν καθ' οὐδ' ἀδύνατον μὲν τῶνδ' ἑτιῶν περιστώτων μὴ πράσσειν ἡμᾶς τάδε, ἐξ ἀνάγκης (δὲ) ἡμᾶς αἰεὶ περιστήσεται ταῦτα δι' ἃ πράσσομεν. Legendum esse τάδε recte sensit Otto Apelt (RhM 49, 1894, 68)<sup>4</sup> idemque verba bene distinctit; particulam δὲ ipse supplēvi. Huic loco conferendum est quod Alexander paulo post scripsit (De fato 34, p. 206, 19–24 Bruns [= Sh.; p. 66, 19–25 Th.]): ὧν δὲ ἡ ἐξουσία τοῦ πράττειν ἄλλα τινὰ παρ' ἃ πράττουσιν ὑπὸ τῶν περιστώτων ἀφήρηται(αι), καὶ οὐδὲν αὐτοῖς<sup>5</sup> συντελοῦσιν εἰς τὸ (ταῦ)τα<sup>6</sup> αὐτοῖς περιεστάναι δι' ἃ πράττουσιν, πῶς ἂν ἐτι τούτους τις ἡ ἀμαρτάνειν ἢ κατορθοῦν λέγοι;<sup>7</sup> οὐτε γὰρ τῆς τοιαύτης ἕξεως, ἀφ' ἧς τῶνδ' ἑτιῶν περιστώτων περὶ τὸ τάδε τινὰ πράττειν ὀρμὴ γίνεται, αὐτὸς ἐστὶν ἐν ἐξουσίᾳ οὐτε τοῦ τὰ περιεστῶτα τοιαῦτα εἶναι.

Florentiae

Giovanni Zago

3) Thillet retinuit ἔπειτα et colon post λέγουσιν posuit, inepte, ut mihi videtur.

4) «Τάδε, abhängig von πράσσειν, folgt einfach schon aus dem vorhergehenden τῶνδ'ε.»

5) Testibus Bruns et Sharples, codex Venetus praebet αὐτοῖς leni spiritu, accentu gravi et nota expunctionis superposita sigmati insignitum. Fortasse αὐτοῖς exhibebat etiam deperditum exemplar versionis Latinae. Nam interpretes *ipsis* scripsit. Lectionem αὐτοῖ pro germana duxerunt Bruns et Sharples, improbante Thillet, cui αὐτοῖς placuit quamquam reapse contextui minime aptum.

6) τά, quod codex Venetus exhibet et duo libri manu scripti recentiores deterioresque omittunt, Bruns delevit tamquam insititium. Attamen, collatis interpretatione Latina (*ad hoc quod hec ipsos circumstant*) et loco de quo supra disseruimus (ἡμᾶς αἰεὶ περιστήσεται ταῦτα δι' ἃ πράσσομεν), potius scribendum (ταῦ)τα cum Diels, quam coniecturam Bruns in adnotatione critica laudavit, Sharples et Thillet in textum receperunt. Teste Sharples, eandem emendationem vir doctus nescio quis sua manu margini cuiusdam exemplaris adscripsit editionis Londinensis anno 1658 foras prolatae.

7) Alexander videtur scripsisse ὧν δὲ ἡ ἐξουσία . . . κατορθοῦν λέγοι usus uno verborum ambitu interrogative enuntiando, ut primus intellexit Hackforth (CQ 40, 1946, 42), qui καὶ post ἀφήρηται suo Marte inseruit, adstipulante Sharples. Aliter sensit Thillet, qui, in verbis distinguendis Bruns secutus, sic edidit: ὧν δὲ ἡ ἐξουσία τοῦ πράττειν ἄλλα τινὰ παρ' ἃ πράττουσιν ὑπὸ τῶν περιστώτων ἀφήρηται, οὐδὲν αὐτοῖς συντελοῦσιν εἰς τὸ (ταῦ)τα αὐτοῖς περιεστάναι δι' ἃ πράττουσιν· πῶς ἂν ἐτι τούτους τις ἡ ἀμαρτάνειν ἢ κατορθοῦν λέγοι; Perpende tamen quae Hackforth monuit: «thus punctuated the argument lacks logic; for it represents the non-contribution by the agent to his circumstances as consequent upon his lack of freedom to do something other than what he actually does.»